

Johann Nicolaus Quistorp

**Programma Dominica Esto Mihi Qva Memoriam Salvificæ Passionis Jesu Christi  
Salvatoris Nostri Unici Ecclesia colere incipit**

Rostochi[i]: Typis Joh. Weplingi[i], [1713?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003519709>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1713 Fasten

~~M-1256.~~ 133.

Q. 1713

**PROGRAMMA  
DOMINICA  
ESTO MIHI**

**QVA  
MEMORIAM SALVIFICAE PASSIONIS**

**JESU CHRISTI**

**SALVATORIS NOSTRI UNICI**

**Ecclesia colere incipit**

**Publ. propositum**

**RECTORE**

**JOHANNEN NICOL.**

**QVISTORPIO,**

**TH. D. P. P. PAST. AD DIV. NIC. ET SUPERINT.**

**Ad Galat. VI. v. 14.**

**A me vero absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri JESU  
CHRISTI, per quem mihi mundus crucifixus,  
& Ego mundo.**

~~—————~~

**ROSTOCHI, Typis JOH. WEPPLINGI, SERENISS. PRINC.  
ET ACAD. TYPOGR.**



M. 1256 133

Cum JESU Omnia!



Dest per D.G. tem-

pus, quo in medio strepitu armorum in vicinis provinciis, nos quasi in pace & tranquillitate, in publicis conventibus Ecclesiasticis, imo domi, historiam de acerbissima Domini & Redemptoris JESU CHRISTI Pas-

sione & Morte meditari pie queamus, & si Christiani dici volumus, omnino debeamus. Paulus ad Galat. VI. v. 14. inquit: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri JESU CHRISTI, per quem mihi mundus crucifixus est, & Ego Mundo.* In quibus Pseudo Apostolorum artibus ac imposturis suam opponit animi sinceritatem: non quod se efferat; sed ut suo candore æmulum deprimat hypocrisin. Sicut tria crimina potissimum falsis Doctoribus exprobaverat in antecedentibus, primo quod mundi gratiam & applausum sectarentur, secundo quod crucem Christi refugerent, denique quod de carne Galatarum gloriarentur, sic tria elogia opposita sibi sumit, sed ordine paulum diverso. Gloriantur illi in carne vestra; Ego non glorior, nisi in Cruce Christi: Aucupantes illi gratiam mundi: Mihi mundus est crucifixus & Ego mundo. Illi Crucem Christi refugiunt: Ego stigmata Christi in corpore meo porto. Ad quæ devotus ille Monachus Bernhardus Serm. 6. de peregrino mortuo, crucifixo scribit: *Non solum inquit Paulus mortuus mundo sum, sed & crucifixus: quod est ignominiosissimum genus mortis. Ego illi & pariter ipse mihi, omnia quæ mundus amat, crux mihi sunt, delectatio carnis, honores, divitiae, vana hominum laudes. Quæ vero mundus reputat crucem,*  
illis

*illis affixus sum, illis adhaereo, illa toto amplector affectu.*  
*Optimi Domini Commilitones* omnium optime his diebus  
 agemus, quando reputabimus cum omnibus sanctis  
 crucē, & omnia illa vitia, quæ mundus amat, in quibus  
 gloriatur. Non in citato dicto loquitur excellens il-  
 lud organon DEI de passione Mystica, quam in suo  
 corpore mystico, quod est pie credentium hominum  
 cœtus, Christus sustinet, sed de illa, quam ipse Salvator  
 in sua propria natura & quidem humana, vere & rea-  
 liter expertus est. Passus est ipse Christus *θεου & ανθρωπου*,  
 DEUS & Homo, & non sola ejus Caro. Christi enim  
 passio redemptrix & salvatrix hominum peccatorum  
 est opus *θεου & ανθρωπου*, sic non sola Christi Caro est passa &  
 mortua, sed ipse Christus DEUS & Homo in sua car-  
 ne. *En*, inquit, *Athanasius in pass. & crucem Domi-*  
*ni*, quæ mors Tibi Salvatoris efficit: Non enim o-  
 pus est hominis, sed DEI. Catervam testimoniorum  
 de passione & morte Christi loquentium, ex sacris  
 petitorum, brevitatis ergo jam non allegabimus, cum  
 per se genuinis Christianis pateant. Passio hæc  
 Christi non est verbalis, sed vere realis. Ipse Chri-  
 stus vere languores nostros portavit. *Esa. 53. v. 4.*  
 Et certe nisi totus Christus pro nobis passus & mor-  
 tuus esset, adhuc essemus in peccatis nostris. Cum  
 sine sanguinis effusione non fiat remissio peccatorum  
*Heb. 9. v. 22.* Christi divinitatem scriptura ut immuta-  
 bilem commendat; hinc passum eum fatemur in car-  
 ne, sic tamen, ut eam credamus non compassam fu-  
 isse cum carne. Mors solius humanæ naturæ no-  
 stra peccata non potuit profligare, requiritur enim  
 ad hoc *δραστηριον* producendum infinita virtus. Quic-  
 quid autem tribulationis, passionis, calamitatis, quô-  
 cunque tandem vocetur nomine, sustinuit humana  
 ) 3 natura

natura, id sibi *197* non aliter appropriavit, quam si suæ Deitati obtigisset, sine tamen naturarum confusione, quippe quæ in æternum manent vere distinctæ. Decebat, inquit, Athanasius, Christum induentem humanam carnem hanc cum propriis passionibus ejus indui totam, ut sicut proprium ejus dicimus esse corpus, ita & ipsas passiones. Auctores F. C. accurate sic loquuntur: Propter hypostaticam unionem non nuda & sola H. N. cujus proprium est pati & mori, pro totius mundi peccatis est passa, sed ipse filius DEI, vere secundum H. N. assumptam, passus est, ut Symbolum Apostolicum testatur, vere mortuus est, & si D. N. neque pati, neque mori potest. Prolixum foret, si enarrare vellem figillatim, quæ Christus in his terris, imprimis a Judæis in crucem actus, sit perpeffus. Magnitudo passionis ex magnitudine certaminis & prælii colligitur, ex magnitudine charitatis, ex magnitudine sacerdotii ejus supra fortitudinem & vires inimici, ex materia inimici, ex nequitia, ex multitudine & magnitudine inimicorum, ex magnitudine odii & inimicitiae, ex infacibili illorum lubidine nocendi & perdendi, ex magnitudine peccati, ex multitudine peccatorum temulentorum, & æquitate reatus relaxandi, & universaliter ex omni circumstantia patientis, passionis, & eorum, pro quibus patiebatur. Pro nobis passus est poenas infernales, mortemque æternam sustinuit. Pro nobis perfecte satisfecit & supplicia illa luit, quæ nobis luenda erant. Ob peccata dolores & cruciatus infernales sustinuit. Voluit enim pro nobis perfecte, & pro officii mediatorii ratione satisfacere. Perfecta autem satisfactio est persolutio debiti plena, quam a Christo plene persolutam firmiter credimus, quamvis æternam duramque non expertus est,

est, quæ non ad quidditatem, sed ad adjunctum pœnæ  
pertinet: est enim æternus & infinitus DEUS, qui sua  
infinita morte mortem æternam potuit vincere, &  
vicit. Mors ipsius ob personæ mortuæ æternitatem  
æternum habet valorem, æternam redemptionem re-  
perit, Hebr. 9. v. 12. & vitam nobis æternam dedit  
Rom. 6 v. 23. &c. Nec potuit, nec debuit manere per-  
petuo in morte, pro officii enim sui ratione debuit  
noster esse Redemptor & mortis Victor: verum talis  
nec esset, nec esse posset, si æterna duratione man-  
sisset in morte. Sic enim mortem vincere non potu-  
isset. Passus & mortuus est Optimus N. Salvator,  
non pro se, est enim *ἀναπαύτης* & æternus DEI Pa-  
tris Filius; non pro Angelis sanctis, quia illi non in-  
digent morte Christi peccatorum expiatrice; neque  
pro Diabolis, quippe quorum Christus non est Re-  
demptor; sed hæc gloria nostra est, quod pro no-  
bis hominibus peccatoribus, omnibus & singu-  
lis, nullo excepto, & quidem non putative & opina-  
biliter, sed vere & realiter, seu actu ipso verissimo, cer-  
tissimo, & infallibili passus & mortuus sit. Sic Chri-  
stus est propitiatio pro peccatis totius mundi, ut cum  
Patribus loquar, quoad sufficientiam. Quod autem  
non efficaciter omnes serventur, sed soli Electi effica-  
cem & salutarem effectum & fructum percipiant, nem-  
pe vitam & gloriam æternam, in causa est perversorum  
incredulitas, cū e contra Electi, qui sunt credentes per-  
severanter tales, fideq; sibi applicant sufficientissimum  
meritum Christi, vitam & gloriam æternam cœlestem  
Hierusalem ingrediuntur. Increduli vero, si in incre-  
dulitate persisterint, præcipitabuntur in infernum.  
Sicut herba ( simile est pientissimi Chemnitii ) ægro  
non medetur, nisi recte usurpetur & applicetur, ita




virtus passionis Christi sufficiens est, ad tollenda peccata totius mundi, sed illis solis prodest, qui Agnum hunc recipiunt. Christus pro nobis passus & mortuus, nos DEO Patri & sibi ipsi reconciliavit. Nostra peccata separant DEUM a nobis Esa. 59. v. 2. utpote qui vere irascitur peccatoribus iisque maledicit, adeoque eos abominatur, per dicta Scripturæ sat plurima; quæ citare instituti nostri ratio non permittit, in qua & materia jam satis defudarunt Theologiam & Theticam & Practicam sistentes. Ideo Christus *Gen. 9. v. 11.* Mediator noster nos DEO reconciliavit, ab ipsius ira nos eripuit Rom 9. v. 5. & ab ira ventura 1. ad Theff c. 1. v. 10. Hoc pie expendendum nobis sat decantatus BERNHARDUS, Abbas ille Clarævalensis, seculum XII, illustrans, sistit, cum in *Festum Annunciat Mariæ Sermon.* de verbis Ps. 85. v. 11. introducit inter se colloquentes divinam veritatem, justitiam, misericordiam, pacem & sapientiam. Lapsio in peccato homine veritas & iustitia DEI urserunt hominis lapsi pœnam. Misericordia vero petiit, ut ipse in gratiam reciperetur. Quod quia absolute fieri nequit salva DEI iustitia & veritate, hinc pax dixit: Perii si Adam non moriatur: Item perii, nisi misericordiam consequatur. Fiat mors bona, & habet utraque quod petit. Moriatur aliquis innocens ex charitate, qui nihil utiq; debeat mori. Talem cum nec in coelo nec in terra invenerit veritas & misericordia divina, dixit pax & sapientia *Qui dedit consilium, ferat auxilium.* Certum est, divinam misericordiam, clementiam & benignitatem nobis peccatoribus peccata remittentem, nosque justificantem, & salvantem, nobis non dari extra Christum Mediatorem & Intercessorem, sed in illo & propter illum affirmante Spiritu S in variis clarissimis Scripturæ dictis. Vita aterna est quidem donum DEI gratuitum sed tamen in Christo Rom. 6. v. 23. In quo est vita 1. Joh. 5. v. 11. *Qui non*

non habet filium DEI, vitam non habet c. l. v. 12. sed ira DEI ma-  
 net super illum Joh. 3. v. 36. Christus pro nobis passus liberavit nos  
 ab omni peccato, nullo excepto, liberavit nos a peccatorum nostro-  
 rum suppliciis & poenis, tum æternis, tum temporalibus. Bene Thom.  
 3. qv. 349. inquit: Passio Christi, cum fuerit superabundans pro  
 peccatis satisfactio, & causa remissionis peccatorum, quibus homo  
 poenam mœretur, consequens est, per eam nos esse a reatu poenæ  
 liberatos, Christus pro nobis passus & mortuus, mundavit nostras con-  
 scientias ab operibus mortuis i. e. peccatis Hebr. 9. v. 14. Per ipsius  
 vulnera sanati & liberi facti sumus, educti e lacu, in quo non est aqua, i.  
 e. ex inferno in quo non est aqua refrigeri, sed ignis inextinguibilis æ-  
 ternum crucians damnatos Apoc. 14, 11. & æternam redemptionem  
 invenit Hebr. 9, 12. Meritum enim Salvatoris nostri per passionem  
 suam acquisitum, æternum valorem habuit, habet, & habebit, ob æter-  
 nam Personæ patientis Deitatem, & infinitam Majestatem, quæ  
 pondus passioni appendit infinitum. Hæc est nostra gloria, quod  
 credamus in Christum Crucifixum, qui maledicta crucis morte vi-  
 tam & benedictionem æternam nobis peperit, Quos vero crucis pu-  
 det, eos etiam pudet vitæ & salutis. Gloriam igitur suam invenient  
 in morte, & gehenna. At Nostra gloria est in cruce Domini JESU Chri-  
 sti. O Commilitones optimi, judicate ipsi, quam grave malum pec-  
 catum sit ac reatus, ex quo non nisi illo modo redimi potuimus, &  
 quantum Christo amorem ac cultum debeamus. Ignatius (qui teste  
 Chryostomo, cum Apostolis familiariter vixit, ab hisq; fluentia spiri-  
 tualia hausit) semper in ore habuisse fertur: *Amor meus crucifixus*  
*est. Et Hieronymus adversus Helvidium: quanto sunt humiliora, quæ*  
*pro me passus est, tanto plus illi debeo. Nec non Bernhardus de sermone*  
*quaduplici debito. Cum E, ei donavero, quicquid possum, non istud sic*  
*est, sicut stella ad solem, gutta ad fluxum, lapis ad montem, granum ad*  
*acerum. Non habeo nisi minuta duo, imo minutissima, animam & cor-*  
*pus, vel potius unum minutum, voluntatem meam, & non dabo illam ad*  
*voluntatem illius, qui tantus tantillum beneficiis tantis prævenit, qui*  
*toto se totum me comparavit; alioquin sillam retinere qua fronte,*  
*quibus oculis, qua mente, qua conscientia vado ad viscera misericor-*  
*diæ DEI nostri, & audeo perfodere illud fortissimum propugnaculum,*  
*quod custodit Israel, & illius sanguinis non guttas, sed undas & quinque*  
*partibus corporis in meum pretium detorquere. Rideant Christianos*  
 olim

olim & hodie perversi isti Apellæ, quod Crucifixum religioso  
 colant & spem atque salutem in eo collocent. Adversus quos eo  
 gloriosius insurgimus, quod ipse DOMINUS Dominantium,  
 eternus DEUS pro nobis tanta non dedignatus fuerit pati.  
*Absit a nobis gloriari nisi in Cruce Domini nostri JESU Chri-*  
*sti, per quem mundus nobis crucifixus est, & Nos mundo.*  
*Tota & firma requies est infirmis & peccatoribus in visce-*  
*ribus Salvatoris: securus illic habito, patens mihi viscera*  
*per vulnera: Quicquid ex me mihi deest, usurpo mihi*  
*ex visceribus Domini mei, qua misericordia affluunt, nec*  
*desunt foramina, per qua affluant. Per foramina corporis*  
*patent mihi arcana cordis. Per has rimas licet mihi gu-*  
*stare quam suavis est Dominus DEUS, quoniam revera su-*  
*avis & mius & multa misericordia est omnibus Eum invo-*  
*cantibus in veritate, omnibus inquirentibus & maxime dili-*  
*gentibus. Cum me pulsat aqua turpis cogitatio, recurro*  
*ad vulnera Christi. Cum me premat caro mea, recordeatione*  
*vulnerum Domini resurgo. Cum Diabolus mihi parat in-*  
*sidias, fugio ad viscera misericordia Domini mei, & re-*  
*cedit a me. In omnibus adversitatibus non inveni tamen ef-*  
*ficax remedium, quam vulnera &c. in illis dormio secu-*  
*rus & requiesco intrepidus; Christus mortuus est pro no-*  
*bis. Nil tam ad mortem amarum, quod morte Christi*  
*non sanetur. Tota spes mea est in morte Domini mei.*  
*Mors ejus meritum meum, refugium meum, salus visa &*  
*resurrectio mea, meritum meum, miserationes Domini mu. te.*  
*Quanto ille potentior est ad salutem, tanto ego sum se-*  
*curior. Sunt hæc Bernhardsi Serm. LXI. in Cantica. Sed in*  
*templis & cœtibus Christianis per instantes hebdomades cogendis,*  
*& frequentandis copiosius ista audietis, religiosius meditabimini*  
*& ipsò cultu præstabitis. Ad hæc preces, pro pace & tranquillitate*  
*publica recuperanda, non intermittetis. Quod ut faciatis dili-*  
*genter etiam omnes & singulos pro officii ratione moneo*  
*& sedulo hortor.*

P. P. Sub Sigillo Academia Dominica Quinquagesima Ao. 1713.





non habet filium DEI, vitam non habet c. l. v. 12. sed ir-  
net super illum Joh. 3. v. 35. Christus pro nobis passus lib-  
ab omni peccato, nullo excepto, liberavit nos a peccatoru-  
rum suppliciis & poenis, tum æternis, tum temporalibus. Be-  
3. qv. 349. inquit: Passio Christi, cum fuerit superabun-  
peccatis satisfactio, & causa remissionis peccatorum, quib-  
poenam moeretur, consequens est, per eam nos esse a rea-  
liberatos. Christus pro nobis passus & mortuus, mundavit nos  
scientias ab operibus mortuis i. e. peccatis Hebr. 9. v. 14.  
vulnera sanati & liberi facti sumus, educti e lacu, in quo non es-  
e. ex inferno in quo non est aqua refrigeri, sed ignis inextingu-  
ternum crucians damnatos Apoc. 14, 11. & æternam redem-  
invenit Hebr. 9, 12. Meritum enim Salvatoris nostri per pa-  
suam acquisitum, æternum valorem habuit, habet, & habebit,  
nam Personæ patientis Deitatem, & infinitam Majestatem  
pondus passioni appendit infinitum. Hæc est nostra glori-  
credamus in Christum Crucifixum, qui maledicta crucis ma-  
tam & benedictionem æternam nobis peperit, Quos vero cre-  
det, eos etiam pudet vitæ & salutis. Gloriam igitur suam in-  
in morte, & gehenna. At Nostra gloria est in cruce Domini JES-  
Christi. O Commilitones optimi, judicate ipsi, quam grave mal-  
catum sit ac reatus, ex quo non nisi illo modo redimi potuim-  
quantum Christo amorem ac cultum debeamus. Ignatius ( &  
Chryostomo, cum Apostolis familiariter vixit, ab hisq; fluenti-  
tualia hausit) semper in ore habuisse fertur: *Amor meus crucis*  
*est. Et Hieronymus adversus Helvidium: quanto sunt humilior*  
*pro me passus est, tanto plus illi debeo. Nec non Bernhardus de se*  
*quadruplici debito. Cum E, ei donavero, quicquid possum, non*  
*est, sicut stella ad solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem, gran-*  
*acervum. Non habeo nisi minuta duo, imo minutissima, animam*  
*pus, vel potius unum minutum, voluntatem meam, & non dabo illi*  
*voluntatem illius, qui tantus tantillum beneficiis tantis præven-*  
*to toto se totum me comparavit; alioquin si illam retinere qua*  
*quibus oculis, qua mente, qua conscientia vado ad viscera mis-*  
*dia DEI nostri, & audeo perfodere illud fortissimum propugnac-*  
*quod custodit Israel, & illius sanguinis non guttas, sed undas a qu-*  
*partibus corporis in meum pretium detorque. Rideant Chris-*

